CELSISSIMUS PRINCEPS

ADAMUS

DUX IN KLEWAN, ZUKOW &c.

CZARTORYSKI

DIGNUS MAGNO PARENTE

IN GENERALI REGIA PODOLIAE PRAEFECTURA

SUCCESSOR FILIUS

SUB AUSPICATISSIMUM HONORIS ISTIUS

ADITUM

ORATIONE PANEGYRICA

SALUTATUS

a COLLEGIO CAMENECENSI SOCIETATIS IESU

MDCCLXII.

SUMMA IN FILIO SPES, SUMMA INGENII INDOLES, SUMMA VIRTUS. QUID DE PATRE DICAM, CUIUS BENEVOLENTIA IN REMP: EST IPSIUS ÆQUALIS ÆTATIS.

Cic. Phil. 11. c. 13.

XLV Ex 1330
Bibliotheca Capituli
Ritus graeco-catholici
Premisliensis.



PANEGYRICUS

HAbent hoc ingentes lætitiæ, PRINCEPS CELSISSIME, ut quanto ſecundioribus ſunt e rebus conceptae, tanto minus vocem compri-

mere, ſilentioque ſe diſſimulare poſſint, nedum velint. Incendi, efferri, rapi gaudiis neceſſe eſt, eorum animos, qui ſe repente vel ad ſummum felicitatis gradum evectos, vel in antiqua Eius poſſeſſione firmiſſime ſtabilitos conſpiciunt. Atque utinam illuſtriſſima hæc Podolienſium Provincia, tam ſecunda, tamque proſpera, uſque adhuc fuiſſet uſa fortuna; ut de iſta, magnarum, quas dico, laetitiarum indole, iſtoque ingenio, longa, eaque multiplex ipſiuſmet experientia edoceret omnes, & convinceret. Quantacunque tamen obveniſſet iam olim illi laetandi materia, & quaſi ſeges; illam ego, ſi vultus quidem hos adſtantium novi, ſi voces intelligo, ſi geſtus percipio, ſi totam hanc denique hodiernae diei pompam, atque celebritatem aperte conſpicor, maiorem, uberioremque in ſe ſe, exiſtere

non

non potuiſſe opinor, quam iſta ſit, quae Divino in primis munere, tum vero dein, ſecundum DIVINUM NUMEN eximia REGIS noſtri Optimi, Maximique AUGUSTI III. veri PATRIÆ univerſae PATRIS in Provinciam hanc inclytiſſimam benevolentia, imo vero beneficentia, hodierno die oblata omnibus, & data eſt. Quanquam quid ego coniecturam interpono meam? quid haeſitando timideque pronuntio opinari me iſtud, quod nemo non omnino perſvaſum habet? non ſancte aſſeverat? non profitetur palam? VOS, VOS ipſimet OPTIMATES AMPLISSIMI, VOSque EQUITES GENEROSISSIMI, cum plurimis maximiſque tum vero & ſeriis, atque gravibus, & apertis ac manifeſtis indiciis, tam palam facitis, prope im̃enſis hodie Vos triumphare gaudiis, ut ſi quis vos ita eſſe af-

 fectos

fectos dubitet, is profecto caecutire in meridiana luce videatur. Et iure quidem ac merito, tantopere vobis hodie gaudendum eſſe arbitraminor. Videtis enim planeque perſpicitis, tam fortunate vobis rem cecidiſſe, quam poſſet maxime. Ad quam enim huius Provinciae felicitatem & gloriam, e MAGNO PRINCIPE CZARTORYSCIO PARENTE GENERALI REGIO TERRARUM PODOLIÆ PRÆFECTO, SUMMOQUE JUDICE, hucuſque in omnes copioſiſſime derivatam, nihil adiici videbatur poſſe, ei hodie robuſta PRINCIPIS FILII Succeſſoris aetas praeclaram diuturnitatis ſpem, quaſi quendam eximium adiecit cumulum. Quos veſtrorum animorum ſenſus, dum attentius mecum ipſe expendo, acrius me exſtimulari ſentio, ut gratulationis officium,

quod

quod Principi Celſiſſimo exhibeo, vobiſcum quoque communicem. Quaſi enim quod taedis & facibus, hoc ipſum gratulatoribus quoque exoptandum expetendumque eſt. Namque ut illas, in lapides, aliamve incendi neſciam coniectas materiam, dum quod igni corripiant, non reperiunt, langvere primum, tum & reſtingui prorſus, atque frigere neceſſe eſt; contra ſi ad eam adhaereſcant materiam, quae per ſe ipſa flammis concipiendis praeparata & apta, atque illarum quaſi cupida iam ante fuerit; tum vero & lucem illae, & ardorem exſerere, cum luculentam excitare flammam, tum incendia miſcere gaudent, coeloque attollere; ita gratulationis officium, ad eum ſi deferas, qui fortunæ ignarus ſuæ, ad nullum gaudii concipiendum ſenſum praeparato eſt animo; tum non verba duntaxat, verum

pru-

prudentiae quoque opinionem tuae apud illum deperdas, atque ineptus audias, eoque ipſo frigeas, atque torpeas; at ſi cum illo res tibi ſit, qui & ipſe fortunis applaudat ſuis, & ab omnibus applaudi gaudeat; tum profecto favor illius & gratia, quaſi opportune afflata aura; ut illud tuum gratulandi ſtudium in animo incendet tuo! ut late deferet! ut in immenſum provehet! Vos omnes igitur, dum ego eos eſſe conſpicio, ut & maximae felicitati huic ſuum apud unumquemque conſtet pretium; & ita hac eadem felicitate veſtra in animis affecti ſitis; ut eius cauſa omnibus incedatis laetitiis: quidni commiſſas mihi a meis Moderatoribus Oratoris partes alacer promptuſque ſuſcipiam? quidni ad tam praeclaram ornandam ſpartam ſtrenue me accingam? quidni iſtam gratulationis publicae rationem cupide ad omnes

con-

conferam? Age proinde [quod univerſae huic Provinciae fauſtum ac fortunatum ſit! quod ſingulorum animos, magnis iam aliunde calentes gaudiis, incendat prorſus efferatque hodie! quod ad immortalem Poſterorum prodatur memoriam! quod gentium populorumque omnium celebretur fama, laudandaque & ſancta invidia] age, inquam, dicamus palam, quemadmodum ſentimus omnes, ex animo, & quemadmodum reapſe eſt, ſecundum in ampliſſima iſta Praefectura PRINCIPEM CZARTORISCIUM, Patris nempe Succeſſorem Filium; ſecundam Podoliae Fortunam eſſe. Quid ita? Equidem iſtud liquidius univerſi perſpiciunt, quam ego aſſequi poſſim verbis; ſed quandoquidem ita natura comparati ſumus, ut quibus in rebus eximiis nos vehementius amamus, earum cre-

bra, magnificaque commemoratione, etſi nihil ad cognitionem atque notitiam indigeamus, tamen ad animorum voluptatem non ſolum libenter, verum & cupide utamur, rem ego totam ad duo ſumma orationis iſtius capita revocabo.

In ADAMO PRINCIPE CZARTORISCIO advenit Nobiliſſimae iſti Provinciæ Præſes ab avitæ claritudine gloriae, omnium facile ornatiſſimus ac ſplendidiſſimus; Qui incredibili cum honore id munus adeat: Advenit Præſes, & ſuarum dotum, atque virtutum laudibus, præter cæteros aptiſſimus, ac inſtructiſſimus; qui maxima cum felicitate hoc idem munus obeat.

Tantus ineſt in vero honore ſplendor, tanta dignitas, tanta denique amplitudo, atque maieſtas; ut, cum ſit nullum praeſtantius virtute bonum, tum

ipſiuſmet virtutis nullum dignius honore exiſtimetur prœmium. Quae quidem exiſtimatio cum praeclara & ſancta in ſe ſe eſt, modo ut honorem verum a conficta atque inani illius umbra ſecernere, ac internoſcere mortales curent; neque uti Romanus ille monebat ſapiens (*a*) honoris nomen pro honore ipſo imprudentes arripiant: tum vero ita eſt eadem ſæculorum gentiumque omnium confirmata & ſtabilita conſenſu: ut non perſvaſu & inductu cuiuſpiam ſerius aliquando concepta, perque nationes ac populos diffuſa ſenſim, manaſſe dein latiſſime, ſed cum ipſo humano procreata genere, eique cognata eſſe, ſit cenſenda. Porro autem ex quo ſocietates hominum coaleſcere conflarique cæperunt civilibus inſtitutis excoli; atque præter privatam cuiuſque rem,

 pu-

(a) *Cic. in Bruto cap.* 81.

publicam quoque aliquam, quæ univerſorum in commune foret, habere & curare; ex eo iam tempore in iſtud ſapientiores quique (*b*) maximo ſemper incumbebant ſtudio, ut in re quidem privata omni utilitatibus ſuis proſpicerent, at vero in publica primam honoris & gloriæ rationem ducerent. Etſi vero permulta ſint in omni Republica, in quibus dignitatis & amplitudinis ab honeſtis & ſapientibus Civibus habenda diligenter eſt ratio; tamen illam in eorum, qui præſunt publice, amplitudine atque ſplendore ſpectandam in primis eſſe, nemo prudentum eſt, quin aperte videat. Quippe quemadmodum humano in corpore caput eſſe conveniebat in primis, cuius decori ac dignitati; omni ſtudio, omnique ſolertia natura proſpiceret, atque in exornando illo quaſi vim ſuam omnem induſtriamque

(b) *Cic: pro L. Flacco cap. 12.*

que conſumeret: ita in omnibus hominum honeſtorum cætibus ſocietatumque corporibus illud eſt primum expetendum ad gloriam; ut qui ſummo ſunt apud ſuos loco, & capitum vicem obtinent, ii quam honeſtiſſimi honoratiſsimique habeantur. Certe illius veteris Romanorum Imperii immenſa quædam amplitudo atque maieſtas tum mihi magnificentiſſime dilaudata videtur fuiſſe; cum tantus eſſet Senatorum Romanorum ſplendor, & tanta dignitas: ut qui eos diu ſpectaſſet Romæ ſapientiſſimus Cineas Regis Epirotarum Pyrrhi legatus; is religiose deinde ſuo eidem affirmaret Regi (*c*) ſibi quidem videri ſenatum Romanum non eſſe aliud, quam auguſtum quendam conſeſſum totidem magnorum Regum. Contra vero poſtea quam longo interiecto tem-

 pore

(c) *Plutarchus in Pyrrho, interprete Xylandro.*

pore illa priſtina Principis in Rep: ordinis amplitudo, a cruento C: Caeſaris exceſſu, M: in primis Antonii factionibus imminuta & labefactata eſſet: tum ille peritiſſimus experientiſſimuſque veræ dignitatis æſtimator populus eam publicae honeſtatis labem quam indigne, neque ſane immerito, eſt ferre vivus! Octavius vero Auguſtus, quod deinde, rerum potitus Romæ repetitis Senatus lectionibus (*d*] praeclarum ei malo attuliſſet remedium; iſto quoque de gloria Romana promerito nomen ſuum & famam immortalitati commendavit.

Sed vereor, PRINCEPS CELSISSIME, ne, quæ adhuc de univerſo hoc genere diſputata mihi hoc loco ſunt; ea PODOLIENSI PROVINCIÆ, cum aliunde illa ſcienti, tum vero ex me, non quæ ſint omnibus communia, ſed quæ pe-

(d) *Svetonius in Auguſto cap. 35.*

peculiaria ipſi & propria, audire iam pridem cupienti, ſatietatem adferant & faſtidium. Ad eius igitur divinitus hodie ipſi Tecum oblatam fortunam, quae iam dudum ad ſeſe vocat, & quaſi haurit atque abſorbet orationem hanc meam, contenta ſtudia curſumque convertamus.

APPLAUDE, ſicut certatim facis, applaude FORTUNATISSIMA PODOLIA felicitati tuæ! In ADAMO PRINCIPE CZARTORISCIO, (iuvat enim iterum, ac ſaepius, hoc idem reguſtare: imo iuvat exſaturare, atque omnino explere animos commemoranda crebrius hac mirifica lætitiae communis voluptate) in ADAMO PRINCIPE CZARTORISCIO tam honorificum Tibi atque tam glorioſum PROVINCIÆ Tuæ PRÆSIDEM ſortita es; ut iure quidem ac merito nemo non

gra-

gratulari Tibi, immo vero non invidere etiam poſſit nemo. Nam quæ, per Deum! & quanta, Tuus hic alter MILTIADES, in iſto ſuo ad munus publicum acceſſu & aditu, quæ, inquam ornamenta, quæ decora ſecum adfert, atque adeo in PROVINCIAM hanc ſuam confert! Enimvero verſatur Tibi ob oculos, ſvaviſſimaque cum iucunditate ac delectatione animorum verſatur, ut PRINCEPS longe INCLYTISSIMUS, & ANTIQUITATE GENERIS (*e*) & GLORIA MAIORUM, & SUA MODESTIA, facile unus omnium effloreſcit maxime. Vides inſuper EA ipſum ÆTATE eſſe, UT NON IAM SOLUM DE EO BENE SPERARE, SED etiam CONFIDERE poſſis, TALEM FUTURUM, QUALEM multis magniſque rebus COGNITUM JUDICASTI. Quæ proinde

(e) *Cornelius Nepos in vita Miltiadis.*

cum

cum illis totius Græciæ nobiliſſimis iuxta atque ſapientiſſimis Athenienſibus in pari es fortuna, quidni eadem & in pari ſis lætitia? Pari autem? Eam vero Tibi tanto eſſe maiorem convenit, quanto maiora ſunt in ADAMO PRINCIPE iſta laudum ſingularum capita.

Namque cogitemus primum, & e vetuſta annalium noſtrorum memoria Paterni Maternique GENERIS ANTIQUITATEM, quæ Te in primis PRINCEPS CELSISSIME ornat, recordatione eruamus. Novimus, ut primum hoc exequar, MATRE quidem eſſe Te ortum SIENIAVIA. Id vero Nomen ut non longiſſime referamus hoc loco, illumque primum INCLYTISSIMÆ iſtius PROSAPIÆ appellemus auctorem, qui GRANOWSCIUS cum eſſet Genere, quod vetuſtam Bonorum SIENIAWA Hæredem duxiſſet coniugem,

SIENIAVSCIUS appellari eſt cœptus; id, inquam, Nomen vel ab iſta non remotiſſima ſi deducamus origine, trium propemodum ſæculorum antiquitate [f] nobilitatum, & quaſi conſecratum, deprehendemus eſſe. Quodſi vero rem paulo altius velimus repetere, atque ad LELIVITAS, primos huius Auctores Generis, ex fide hiſtoriæ contendamus referre: certiſſimis deprehendemus veſtigiis, ab octo jam fere ſæculis (g) id ipſum Nomen omnibus honoris atque gloriæ ornamentis in Regno noſtro mirifice floruiſſe.

At vero ſi Paternæ vetuſtatem originis non dubiis eius ipſius hiſtoriæ perſequamur veſtigiis, per Deum! quod retro ſæcula relegenda nobis, & quaſi remetienda erunt! Si quis enim fuerit, qui longius paulo progredi, aut re-

gre-

(f) *Nieſiecki verbo Sieniawſki.* (g) *Idem verbo LELIWA.*

gredi potius pertæſus, in proximis quibuſque originibus acquieſcere ſe dicat velle: ei tamen ad VITENEM uſque, & GEDIMINUM, & OLGERDUM, MAGNOS DUCES LITHVANIÆ, atque Hæredes, prope quingentis ipſis [h] erit retrocedendum annis. Quodſi rem cui altius repetere libuerit: omnes noſtrorum ſcriptores annalium, quotquot iſtam hiſtoriæ Lithvanæ partem aut pertractaverunt ex profeſſo uberius, aut ſaltim ad eam delati fortuito, attigerunt paucis ac obiter, unanimi conſenſione teſtari inveniet, eveniſſe antiquiſsimis retro ſæculis, ut complures hominum Italorum Familiæ, domi in primis nobiles atque illuſtres, priſtinis relictis ſedibus, in Samogitiam ſeſe, atque Lithvaniam feliciter penetrarint. Ibi

 po-

(h) *VITENES enim Lithvaniæ imperium adiit anno Chriſti* 1283. *teſte Kuiałowicz Hiſt. Lithv. p.* 1. *l.* 6. *pag.* 177.

poſtea quam ſedes auſpicato fixiſſent, ita cum indigenis coaluiſſe ferunt, ut ſpectata, & probata perdiu, hominum advenarum virtus, civitatem primum, tum vero dein ſummum quoque gentium illarum imperium, ſumma omnium conſenſione, ſummaque voluntate ſit adepta. In eo vero advenarum numero, qui fere quingentorum capitum fuiſſe proditur, ferunt, COLUMNAS fuiſſe, ſeu fratres, ſeu quomodolibet cognatos, eiuſdem tamen COLUMNARUM, aut [quod malunt alii] ſeu CÆSARUM, ſeu CÆSARINORUM Familiæ [*i*] a quibus longiſsimo deinde intervallo, certa tamen communione ſanguinis, is, quem ſupra commemoravi, CÆSARINUS, ſeu potius CÆSAR VITENES, Magnus Lithvaniae Dux, maior multorum PRINCIPUM, REGUMQUE Potentiſsimorum PA-

(i) *Idem ibidem lib. 2.*

rens

RENS, atque adeo ſtirpis quoque CZARTORYSCIANÆ vetuſtus AUCTOR [l] ortum duxerit.

Lubet conſiſtere hoc loco paululum, maximamque GENERIS CZARTORYSCIANI antiquitatem quaſi unico oculorum conjectu emetiri. Eſto ſane in incerto poſitum, quæ quotave illa aetas fuerit, quæ Nobiliſsimarum illarum migrationem Familiarum, ab Italia in oras uſque Lithvaniæ ſuſceptam, feliciterque ad exitum deductam, aliquando viderit. Illud tamen in primis non haberi pro explorato nequit, ſi vel iis duntaxat aſſentiamur ſcriptoribus, qui huic ipſi migrationi minimum vetuſtatis attribuunt, inque annum a reparata generis humani ſalute C. M. incidiſſe illam exiſtimant, DCCC. annorum ſummam longe excedere. Deinde vero, ſi proſpice-

(l) Id planum fiet infra hiſtoricis teſtimoniis, quæ proferuntur ſub notis r. ſ. t. u. w.

re longius paulo non pigeat, nobilitatemque, quam illi iidem advenæ, in Lithvaniam noſtram attulerint, in priſtina ſua Patria, in ſua, inquam, ſpectare Italia; tum quanta, per immortalem Deum! quanta & quam prope immenſa quædam antiquitas, ob mentium noſtrarum oculos obverſabitur! Habemus ANTIQUITATEM GENERIS, quanta maxima cogitari poteſt. Iam qua MAIORUM GLORIA PRINCEPS CELSISSIME effulgeas, quid ego dicam? aut quî dicam potius?

Enimvero vel ſola MATERNI Tui claritudo GENERIS, id eſt, ille *SIENIAVIORUM* ſplendor, qui vel ab extincta iam Illuſtriſsima iſtius Familiæ virili ſtirpe etiamnum ſuperſtes in animis effulget noſtris, inque omnium poſterorum noſtrorum effulgebit memoria, in Te præclarum tam illuſtrium Maiorum

iorum Nepotem tantam gloriæ refundit lucem; ut non dico in Equeſtribus, ſed in Senatoriis quoque Poloniæ univerſæ Familiis, nemo unus illuſtriore exiſtat ortu. Nam revocemus animum ad illa vetera, quæ de *SIENIAVIIS* aliquando ſeu noſtrorum narratione Patrum, ſeu patriorum lectione annalium didicimus: quo ad longiſsime poteſt mens noſtra ſpatium elapſi temporis, & vetuſtatis memoriam remetiri ultimam, inde uſque repetamus: quos, per Deum! quos quantoſque deprehendemus fuiſſe olim Familiæ iſtius viros! quæ Reip. huius noſtræ lumina! quæ ſenatus oracula! quæ bellicæ virtutis miracula!

Maternus, *PRINCEPS CELSISSIME*, Avus tuus ADAMUS NICOLAUS *SIENIAVIUS*, Cracovienſis Caſtellanus, id eſt, Patrii *SENATUS*

PRIN-

PRINCEPS, idemque copiarum Regni ſupremus Ductor, qui toga, qui ſago Vir fuerit, vidimus plurimi, audivimus omnes. Certe, ſi ſapientis illius iudicio (*l*) PLURIMUM REFERT, IN QUÆ CUIUSQUE VIRTUS TEMPORA INCIDERIT; in iſto quidem, quem hoc loco laudamus, NICOLAO ADAMO, quam bonum Civem Patria, quam ſapientem Senatorem Curia, quam ſtrenuum primo Militem, deinde Imperatorem quoque militia noſtra habuerit; vel ipſa ſuperiorum temporum recordatio abunde docuerit. Namque regnandi initia quam non ſecunda ſibi, quam adverſa univerſae Poloniae, quam turbulenta atque atrocia, REX ille optimus AUGUSTUS II. habuit, quis noſtrum ignorat? Atqui publicam illorum temporum calamita-

tem

(l) *Plin: Hiſt: Natur: lib:* 7. *c.* 28.

tem ſcimus iidem ipſi fuiſſe nullam; qua non iſtius Civis pietas, iſtius Senatoris Conſilium, iſtius Imperatoris armata fortitudo, communem hanc Patriam ſtudioſiſſime æque ac feliciſſime levatum ierit. Partes Regiæ contra infeſta Svecorum arma armis & acie propugnandæ erant: iam Caliſſienſi, iam aliis bene multis, iiſque perquam atrocibus præliis, non fortunate minus quam fortiter propugnatæ ab iſto ſunt. Diſſentientes deinde, alienatique ab eo ipſo REGE, Civium plurimorum animi cum foederata in eius copias iunxiſſent arma; exitioſas Regno, Reique-publicæ capitales illas diſcordias, auctoritate, Sapientia, conſilio, denique omnibus cum Boni Civis, tum Graviſſimi Senatoris, diligentiſſime impendendis ſtudiis, obeundis officiis, exequendis muniis quam celerrime placa-

re, turbulentaſque res in tranquillum conferre, neceſſe fuit: nullis idem nec Boni Civis, nec Optimi Senatoris partibus, eouſque defuit; dum diſſidentium inter ſeſe & ſedaret diſcordiam, & pacem atque concordiam conſtitueret.

Atque has ego laudes dum in hoc ipſo ADAMO NICOLAO intueor; fuiſſe illas Viri eiuſdem proprias fateor. Ubi tamen Maiores eius Clariſſimos in memoriam mihi revoco; quin ab iſta mea diſcedam ſententia, tantamque hanc cum admirandarum virtutum, tum præclariſſime geſtarum rerum gloriam, non tam huius nominatim hominis, quam totius univerſe Nominis aſſeverem fuiſſe propriam, vix me ipſe contineo. Cedo enim, cedo vel unum quempiam ab ipſa ſua Origine, ideſt, a tribus prope ſæculis, Familiæ iſtius Virum, qui non toga ſagoque clariſsimus,

qui

qui non denique fuiſſet SIENIAVIUS? Ita, inquam, SIENIAVIUS. Tanta enim SIENIAVII ad unum omnes rerum domi atque militiæ præclariſſime geſtarum gloria effloruerunt perpetuo; ut hoc ipſum eorum Nomen non tam Familiæ videatur fuiſſe, quam virtutis. Agedum: attingamus unumquemque ex iis, ſed ita obiter, ut neque infiniti ſimus, neque nos tamen, imo vero & noſtros poſteros, cum iucundiſſima voluptate animi, tum longe pulcherrimorum virtutis exemplorum utilitate defraudemus.

Iſtius primum, de quo proxime dicebamus, ADAMI NICOLAI Pater, NICOLAUS HIERONYMUS Palatinus Volhyniæ, unaque Regni Copiarum campeſtris Ductor, quam clarum, quam illuſtre, iam ſuæ Familiæ, iam univerſæ Reip. Lumen fuit! Quem enim

Nominis Poloni virum illud IOANNIS CASIMIRI, MICHAELIS I. IOANNIS III. Poloniæ Regum ævum, quem, inquam, virum in foro, quem in Curia, quem in campo & acie, clariorem vidit? Bellicas herois fortiſsimi deſideramus laudes? Unus ille ad Brahiloviam exigua ſuorum manu immenſas prope barbarorum copias, cum ſuapte vi præferoces, tum victoriæ quoque, qua præter ſpem potiti erant, inſolentia in furorem actas, ne nudatam præſidio Ucrainam inundarent, atque opprimerent, repreſsit ac retardavit tamdiu; dum, quæ cladem ibi recens acceperant Regni copiæ, arma, viros, animos, rurſum colligerent, hoſtique undique irruenti obiicerent. Iam quot præliis alias idem ipſe interfuit, & ita interfuit, ut parta tum victoriarum gloria ipſi propemodum uni propria, vel cum paucis communis fuerit! Podhaycii, Brze-

żany, Szaranczuga, Ieſupolis, Czerlenicia, Miendzybozium, Camenecum, Chotimum, Niemirovia, Comarnium, Zoravnium, ſexcenti denique Rusſiæ, Ucrainæ, Wołhyniæ, Pocutiæ, Podoliæ, verbo, Poloniæ totius loci, quibuſcumque per ea tempora collatis ſignis pugnatum eſt (quibus autem tum quidem non eſt?) omnes, inquam, commiſsorum tum in Polonia præliorum loci viderunt iſtum iam militem longe fortiſſimum, iam experientiſſimum Imperatorem, non minus fortiter, quam fortunate pugnantem. *S*ed quid ego hæc autem? Iſtius Herois pugnas atque victorias Polonia duntaxat vidit? Enimvero tu quoque Germania apud Viennam Auſtriæ non modo vidiſti, ſed omni etiam ſtudio Divinum illum Virum tibi exiſtimaſti viſendum, cum ille primum Polonarum Copiarum agmen iam in hoſtem geno-

roſus duceret; iam eodem conciſo hoſte, onuſtus præda, plenus gloria, cum triumpho reduceret. Dignum vero quem non videres modo, neque viſendum tantum ſtudioſe putares, ſed ſancte etiam invideres Poloniæ noſtræ virum! Dignam hac ipſa tua invidia fortiſſimi viri Familiam, ſi Patris, ſi Avorum tanti Herois virtutem noſſes!

Namque illius Pater HIERONYMUS ADAMUS, Regni Notarius, quanta bellica virtute fuit! Tanta ſcilicet, quanta effectum reapſe eſt, ut quam ſibi Romana fortitudo in Caio Mutio Scævola vindicaſſet aliquando laudem; eam in hoc HIERONYMO Polona noſtra conſequeretur magnitudo animi: neque magnificentius quam verius prædicare poſſet (*n*) AGERE & PA-

(n) *Verba iſtius Mutii ad Porſenam Regem hæc ipſa ſunt apud Livium dec. 1. l. 2.* Romanus ſum civis: C. Mutium vocant. Hoſtis hoſtem occidere volui. Nec ad mortem minus animi eſt, quam ad necem fuit. Et facere, & pati fortia, Romanum eſt.

PATI FORTIA POLONUM ESSE. Ochmatovia, Merſium, Corſunum, Zbarazium, permultæ aliæ acerrimorum præliorum arenæ, viderunt Polonum hunc MUTIUM agentem fortia: at illi ipſi, quos dixi, duo poſtremi loci ut ſtupebant fortia quoque patientem, dum is priore quidem ex acie in vincula raperetur Scythica, & pro Patriæ libertate ſuæ ſervitutem duriſſimam ſubiret libens: poſteriore autem tot in caſtris ultro perferret ærumnas; ut, iis demum extinctus, communi ſaluti Regni vitam ſuam & ſalutem devoverit!

Iam iſtius Herois tum PROCOPIUM Patrem, Magnum Regni Signiferum, tum NICOLAUM Patruum, eiuſdem Regni Pincernam, vel ipſi, credo, barbarorum annales, ob incredibilem utriuſque in re militari gloriam, laudibus in Coelum ferunt. Namque vetu-

ſtio-

ſtiore illo Chotimenſi prælio, (*o*) aut potius bello (decies enim ibi totis copiis, totiſque viribus, dimicatum cum Oſmano eſt) e decem illis magnis victoriis ecqua fuit; cuius non magna pars, cuius non princeps inſtrumentum, hi duo Fratres, imo vero hæc duo fulmina, ſemper fuerint? Singillatim vero PROCOPIUS quale ſuimet pectoris, quale corporum quoque ſociorum robur, in Ruſſiam cum Cantimiro Baſſa irruentibus obiecit Thracibus, dum quas copias privato ſuo armaſſet ære, iis ſe ducem præbuiſſet in acie! Qualis idem in Hano Scytharum Sareio [id barbarum nomen erat barbaro] qualis, inquam, in illo hoſte fuit! Cum graviſſima tum forte, quam e militaribus contraxerat ærumnis, conflictabatur febre: proceſſit tamen in aciem, & trementis

e morbo

(o) *Quod in annum 1621. incidit, Sigiſmando III. Rege. Nam poſterius Michaële I. eſt geſtum, ſub ann. 1673.*

e morbo rigorem corporis victorioſæ pugnæ ardore ſuſtulit.

Rurſus horum duorum Pater ADAMUS HIERONYMUS Pincerna Regni, ille Michàélis Vaivodæ Moldavici, ille Skinderi Turcarum Baſſæ ductoris terror, cuinam, quæſo, quo loco, quo tempore, in Polonos invadenti fines non occurit hoſti? quem non fudit? quem non fugavit victor? cui, ſi occurrere per valetudinem non poſſet ipſe, conſcriptas ab ſe privatim, atque omnibus inſtructas rebus, Publicæque deinde donatas Rei, millenum equitum ac peditum non ſemper obiecit copias?

Iſtius ad extremum Pater HIERONYMUS, & NICOLAUS Avus, ambo Palatini Ruſſiæ, & RAPHAEL GRANOWSKI Proavus [primus, ut dixi ſupra, SIENIAVIANÆ Auctor Familiæ] quanta Heroum exempla! Cer-

te ut Delphico illo oraculo proditum fuiſſe memorant (*p*) in fatis eſſe, ut ſalus Troiæ a ſalute penderet Hectoris, ita Polonos quondam res ipſa docuerat, ſalutem Ruſſiæ, dum ea plus unum decennium a ferociſſimis oppugnaretur hoſtibus, ſalute iſtius HIERONYMI SIENIAVII fuiſſe nixam. NICOLAUS autem [ut rem longe maximam complectamur paucis) ſicuti duodecies iuſta conflixit acie; ita duodecies hoſtium iſtius Patriæ victor exſtitit. RAPHAELEM denique quid in Ruſſiam e Maiore excivit Polonia, ſi non generoſus ille bellandi ardor, qui hoſtem Patriæ ut victricibus perſequeretur armis, infeſtiſſimam Patriæ eiuſdem oram pacato & otioſo natali ſolo non dubitavit præponere?

Habemus in SIENIAVIIS Heroes

for-

(p) *Dion: Halicar: Rom: antiq. l.* 1.

fortiſſimos, bello &armis præclariſſime de Rep. noſtra promeritos: iam iidem quam eximie, quam mirifice de hac ipſa Rep. ſunt pace promeriti, quibus id ego complectar verbis, in his præſertim orationis unius anguſtiis? Id enimvero unum, TERRARUM PODOLIÆ PROCERES ILLUSTRISSIMI incommodum eſt, quod hodiernam mihi lætitiam, iſtamque mirificam dicendi alacritatem, aliquantulum attenuet, & quaſi diluat; ſi non animum peropportuna ſubeat cogitatio, Vos eſſe ſcilicet, cum quibus mihi hoc tam iniquo loco, in his, inquam, temporis anguſtiis, ſit agendum. Primum enim Veſtra eximia Annalium huius Regni, atque adeo Sieniavianorum geſtorum notitia, duram iſtam præter mittendarum hoc loco plurimarum rerum pulcherrimarum neceſſitatem mihi emolliet: dum

& meorum parcitatem verborum veſtræ plenitudine ſcientiæ,& temporis iniqui fraudem veſtræ fide memoriæ conſolabor. Deinde autem pro ſingulari, qua eſtis, ſapientia videtis certe, palamque perſpicitis, memoratas proxime Sagi SIENIAVIANI laudes cum laudibus eorum Togæ ita eſſe implicitas, & ita cohærere; ut quicunque hos Viros ſuſcipiendis olim, gerendiſque pro Patria, tot atque tantis bellis, magnos eiuſdemPatriæ propugnatores fuiſſe agnoſcat; is eoſdem ſtabilienda armis victoriiſque ornanda pace cives itidem fuiſſe optimos negare nequeat. Nec enim quiſquam in Rep.meliusPaci conſulit, quam qui pro ea fortiter propugnat Bello. Atque ut apud eos, qui immodicis propriorum cupiditatibus emolumentorum in arma feruntur præcipites, iam barbaræ ultioni, iam turpi

ava-

avaritiæ, iam inſatiabili laudis princi-patuſve libidini, iam cœteris iſtiuſmo-di vitiorum peſtibus, militare Mars co-gitur: ſic apud ſapientes & bonos, [*q*] unaque fortes viros, æquitatis, honeſtæ pacis, ideſt tranquillæ libertatis, ſalutis demum communis, veluti ſatelles qui-dam & propugnator eſt. Sed age por-ro: quæ ſunt præterea Togatorum Ci-vium præclaræ artes, quæ virtutes, e-iuſdem Pacis comites & adminiſtræ, quæ non eximiæ ſemper exſtiterint in SIENIAVIIS? Fides primum, opinor, & obſequium erga bonos Reges, ubi in Regno vivitur: deinde vero geſti ſem-per cum laude magiſtratus graviſſimi, plena fidelitatis in Senatu conſilia, la-bor in negotiis, fortitudo in periculis, induſtria in agendo, celeritas in confi-ciendo, ſapientia in providendo, ma-

 gni-

(q) *Cic: l: de Offic: c: 19.*

gnifica quædam liberalitas in privato impendio publici compendii gratiâ faciendo. Quænam igitur in primis, quænam Familiarum Polonarum una, Regibus noſtris fidelior, quæ obſequio promptior, unquam fuit? Ex quo primum ſunt orti, qui appellarentur SIENIAVII, ad ipſum uſque huius occaſum Nominis, quæcunque a Noſtrorum auctoritate Regum ſeceſſiones quorundam commemorantur factæ, quænam earum una non ſtantes a Regiis partibus eos ipſos conſpexit SIENIAVIOS? Illo inter SIGISMUNDUM III. & Rocoſſanos (ita enim illud ſeditioſum appellabant foedus) illo, inquam, funeſto diſſidio quis Optimatum noſtrorum in tuendo eo ipſo Rege conſtantior fuit? quis in illa nefaria conſenſione diſturbanda ſeu impenſius, ſeu felicius laboravit? Cuius alterius boni Civis aucto-

ctoritas atque oratio ad eripienda e manibus coniuratorum arma plus valuit, quam ADAMI SIENIAVII? Enimvero illa optimi civis fides, obſequiumque illud in PRINCIPEM, cepit, quem merebatur, ſuæ virtutis fructum. Cum enim REX virum de publico tam præclare promeritum, Regni Pincernam [uti nos appellamus] renuntiaſſet, iſque pro Patrio novorum apud nos Magiſtratuum more, de gerendo religioſe eo munere iusiurandum pararet edere; SIGISMUNDUS blande hominem aſpectans, EGO VERO, ADAME, inquit, ISTA TE LEGE SOLUTUM VOLO. SIENIAVIORUM ENIM IN PRINCIPES SUOS FIDES MULTO EST MIHI PERSPECTIOR, QUAM UT AD EAM, UTI PAR EST, PRÆSTANDAM, SACRAMENTO HOS ADIGI

GI

GI SIT NECESSE. Rurſus autem SIGISMUNDI iſtius Filio IOANNE CASIMIRO, dum ad cœteras calamitates publicas illud etiam acceſſiſſet incommodum, ut, exhauſto Regni ærario, & impedita ſtipendiorum ſolutione, verſus in ſeditionem miles non modo Regium ac Reip. imperium omnino abnueret, ſed præterea, quos fines patrios tueri contra hoſtium prædas debuerat, eos hoſtiliter prædaretur: NICOLAUS HIERONYMUS SIENIAVIUS, tum quidem fortiſsimus aliquot legionum Præfectus (deinde PALATINUS Voľhyniæ & Campeſtris univerſarum Regni copiarum DUCTOR) illam non ſane parvam militum ſuorum manum in veteri erga Regem, Regnique Ordines, fide atque obſequio quam religioſe continuit! In AUGUSTUM demum II. Regem quanta fidelitate,

quam

quam religioſa obſervantia, SIENIAVIORUM poſtremus ADAMUS NICOLAUS fuerit; & Polonorum non pauci tenent memoria, quod uſurparunt oculis; & ego me paulo ante dixiſſe memini.

Sentio, PRINCEPS CELSISSIME, me in iſtis Togæ SIENIAVIANÆ laudibus multo longius, quam voluiſſem initio, progreſſum eſſe; & una tamen perſpicio, me a fine earundem laudum etiamnum tam longe eſſe, tanquam ſi nihil omnino ſim progreſſus. Non igitur, ne ſim immenſus, ex hoc eodem genere attingam cætera, quæ ſuperſunt. Non memorabo, id NOMEN trecentis fere, quibus florebat, Annis, nunquam non Senatoriis, cæteriſque ampliſſimis in hac Rep. obeundis muniis caſte ſemper integreque verſatum, fide, conſilio, labore, indu-

ſtria, liberalitate demum, ne dicam crebra ſui effuſione patrimonii, felicitati Patriæ inſerviviſſe. Id unum dicam, fuiſſe SIENIAVIOS de noſtris Regibus, deque noſtra Rep. tam præclare promeritos, quam qui maxime fuere unquam: & iſtam de illis ſententiam nec privati cuiuſpiam, nec aliquando duntaxat, fuiſſe, ſed Regum noſtrorum omnium, Regnique Ordinum, fuiſſe ſemper. Id quod ex iſto, quod hoc loco ſolum e multis attingam, exemplo patebit. NICOLAI SIENIAVII Palatini Ruſſiæ, eiuſdemque ſummi exercituum Regni Ductoris, immortalia in Remp. noſtram promerita fuere tanti; ut ad viri exſtincti funus Regnum omne, ſuis excitum & quaſi convulſum ſedibus, certatim accurrerit: & lugubrem pompam illam per ſe ipſe SIGISMUNDUS AUGUSTUS REX cum

uni-

univerſo SENATU, innumeriſque EQUITIBUS, Lublino Brezanos verſum, incredibili luctus publici ſignificatione, pedes longe ultra urbem progreſſus, eſſe ſibi deducendam putaverit.

Sed me iam pridem res ipſa tempuſque admonet, PRINCEPS CELSISSIME, ut qui Te Materno genere eſſe longe clariſsimum, atque adeo longe honorificentiſsimum, admirabar eſſe; Tuum tandem incredibilem Paterni ſplendorem Nominis ob oculos PODOLIENSIUM proponam, atque iſto exequendo munere immenſa quadam lætitia gaudiiſque eoſdem obruam. Aio proin, tanta Te eſſe Paternæ Stirpis gloria; quanta maior, non dico intra vaſtiſsimos iſtius Regni fines, ſed ne intra Europæ quidem univerſæ terminos, nec e Senatoriis duntaxat ſellis

curulibus, ſed ex Auguſtis etiam Principum & Regum ſoliis, nulla unquam eminuit. Si enim ſummum gloriæ humanæ faſtigium eſt, REGNARE; ſi deinde LAUDABILITER etiam glorioſeque REGNARE, ita eſt quiddam omni humanarum rerum excelſitate altius, ut non immerito Divinum videatur eſſe: quidni, cuius Maiores non latiſsime duntaxat, verum glorioſiſsime quoque, regnaverint; eum in iſto laudis genere id attigiſſe confiteamur, quo nihil eſt altius? Atqui utraque tam auguſtæ, tamque propemodum divinæ, laudis iſtius pars, Tibi PRINCEPS CELSISSIME, eſt plane propria. Nam genus, ut memoravi iam antea, ducis a CÆSARE COLUMNA VITENE, qui cum ipſe [r] Magnus Lithvaniæ

(r) *Adiit Lithvaniæ Principatū Vitenes anno Chr.* 1283 *glorioſeq; obtinuit ad* 1315. *regnavit igitur non* 22. *(ut typi apu- Koiałowicz hiſt. Lith. par:* 1. *l.* 6. *extremo, aberrarunt) ſed* 32. *annis.*

DUX, tum vero quot & quantorum DUCUM ac REGUM fuit P A T E R! Quæ ambæ res cui homini, qui vel obiter Hiſtoriam Polonam attigerit, non manifeſtæ ſunt? Quis etenim, niſi omnium ignarus rerum, quis hoc ignorat, inquam, ab iſto quidem VITENE GEDIMINUM (*s*) a GEDIMINO OLGERDUM [*t*) ab OLGERDO autem, duodecim inter filios, I A G E L L O NEM, CORIBUTUM, & CORIGELLONEM, fuiſſe progenitos: [*u*) earum ſcilicet Principum Familiarum Auctores, quarum priores duæ in I A G E LLONIIS, inque WISZNIEWIECIIS

(s) *Idem Koiałowicz ibid. l. 7. initio.* (t) *Idem ibid. nominatim pag. 281. editionis Forſterianæ.* (u) *Idem Koiałow. lib. 8 extremo:* Sex, *inquit*, ipſi Olgerdo filii, ex Uliana Vitepſcenſiũ Ducis filia ſuſcepti: Volodimirus - - - Conſtantinus Dux Czernikoviæ, e quo deinde Czartorienſium Duces prodiere - - - Quinque alii (præter Iagellonem) ſuſcepti e Maria, Twerenſis Ducis Filia - - - KORYBUTUS, a quo genus ducunt Zbaraſcii, & Wisniewiecii Duces - --

ac ZBARAZIENSIBUS DUCIBUS, tam admirandum in modum effloruerint, ut ſupremum humanæ felicitatis gloriæque faſtigium, Sceptra nempe & Regna, tenuerint: at vero tertia, numquam non Sceptris & Regnis digna, in DUCIBUS CZARTORISCIIS etiamnum floret admirabiliter: atque, ſi quidem LIBERTAS Iuris, ſi FORTUNA virtutis rationem habere velit, pridem ad ſceptra & Regna adoleſcit. Iſto igitur eſſe procreatum, Sangvine, qui tot Imperiis, tot Regnis, tot per Sæcula, tam multos atque tam magnos *DUCES & REGES* dederit; iſto ſangvine, qui prope omnium Europæ univerſæ Regum efferveſcat hodieque in venis, multiplici in eaſdem cognatione transfuſus; iſto, inquam, eſſe procreatum ſangvine, quid eſt tandem, quæſo, ſi quidem non eſt tanta præcel-

lere

lere Maiorum gloria, quanta nulla ſit amplior?

Sed me publicæ maximæque omnium lætitiæ haud paulo amplius gratificaturum intelligo; ſi hæc Regalia, hæc Auguſta, Paternorum *PRINCEPS CELSISSIME* Maiorum Tuorum decora, de quibus adhuc confuſe duntatax ac univerſe mentionem hic feci, explicate ac nominatim, paucis tamen & circumſcripte propoſuero. Primum igitur quis neſcit, eos eſſe Maiores Tuos, qui quadringentis ipſis in Lithvania, trecentis in Polonia imperarunt annis: & ita imperarunt, ut ab eo, quem dixi toties [*w*) Magno *VITENE* ad *MI*-

CHA-

(*w*) VITENES, inter Eiragoſios (qui Samogitiæ populus eſt) a Cæſarino Columna genus, quemadmodum plerique eius regionis Procerum, ducebat. Iam inde a puero ita vitam eius fata temperabant, ut non alibi, quam ſub Reip. oculis (*in aula ſcilicet Troideni Magni Ducis Lithvaniæ*) id eſt omnium iudiciis, adoleſceret: quod a ſupremo Numine ad Principatum, per quatuor iam ſæcula in ſua Familia conſervatum, deſtinare-

CHAELEM CORIBUTHUM, Magni quidem Duces Lithvaniæ omnino ſede

cim,

---

tur. Ex illa enim domo cum perpetuo * duodecim Magni Duces in Lithvania imperaſſent; ne, deficientibus tandem Viris, Principatus alio averteretur, foeminæ etiam ratio habita eſt. Trineptis hæc Vitenis erat ANNA STEPHANI I. Polonorũ Regis Coniux, prius Poloniæ Regina renuntiata, quam ſponſa, Principatum viro dedit. Interruperat deinde hunc veluti ſacrum quendam Lithvaniæ Principum ordinem HENRICUS VALESIUS: ſed rediit mox Reſpublica ad probatas iam ſibi tot ſæculis manus, ſummo omnium bono. Reſtituerunt rurſus Lithvaniæ ſuos Principes ** Sigiſmundus III. Poloniæ Rex, IV. Lithvaniæ Dux ex Catharina Vitenis trinepte, Annæ ſorore, Ioannis I. Svecorum Regis filius; & Vladislaus Polonorum Rex eius nominis IV. Lithvanorum Dux Magnus vere ſecundus: in ipſo pacis, ac felicitatis publicæ curſu, magno Reip. dolore, neque minore damno, Merecii in Lithvania mortuus. ** Caſimirus Polonorum Rex eius nominis IV. Lithvanorum Dux Magnus III. cui Reſp. ingentibus periculis pæne oppreſſa, ita Regnum detulit, ut ad virtutem Vitenio Iagellonioque ſangvine propagatam, velut ad ſolitum in rebus afflictis aſylum, cœlo impellente, properaſſe videatur. *Koiał. hiſt. Lith. par. 1. l. 6. cuius ſi rationes ſubducas, & ad commemoratos * ab illo primos XII. Lithvaniæ Duces, e maſcula ſtirpe Vitenia prognatos, addas tres inferius ** ab eodem nominatos, e muliebri Vitenis eiuſdem ſobole deinceps ortos, efficies Duces XV. qui porro fient XVI. ſi eis addas denique Michaëlem Coributhum, quo necdum regnante hic Auctor ſcripſit. Eadem Regum quoque numerandorum tenenda hoc loco eſt ratio.*

cim, Reges vero Poloniæ a *VLADISLAO IAGELLONE*, Vitenis pronepote, ad eum ipſum Coributhum, omnino undecim, Patrium atque Avitum Imperium obtinuerint. Quin imo vero plures etiam obtinuerint. An enim præteribimus hoc loco Auguſtam illam Regalis iſtius Familiæ Heroinam ANNAM, in qua muliebris imbecillitatem ſexus tam egregie, non dico virilis & maſculus, ſed plane heroicus, compenſabat animus; ut glorioſe gerendo Regno parem redderet: eamque unanimis univerſorum Regni Ordinum conſenſio, ſumma omnium voluntate, ſummiſque ſtudiis, prius eſſe Reginam iuſſerit, quam STEPHANO BATHOREO deſponderit? Augeat & illa proin PRINCIPUM Poloniæ Lithvaniæque numerum: augeat: & iſtam Vitenianæ Tuæ Familiæ laudem aſſerat,

Sceptris & Regnis pares in ea perpetuo procreari Viros, quando Sceptris & Regnis pares Foeminæ procreentur.]

Quid quod auguſta hæc regnandi gloria, Tuis PRINCEPS CELSISSIME Maioribus tam diu atque tam multis hæreditaria, tot tantiſque præterea ornamentis aliis, ornamentis, inquam, tam conſpicuis ad amplitudinem, tam illuſtribus ad ſplendorem, tam glorioſis ad immortale decus, pæne in immenſum eſt aucta? Nam, per DEUM! quale hoc, quantumque decus, imperare primum non unicuipiam nationi ac populo, ſed longe plurimis, iiſque tuum imperium certatim poſcentibus! imperare Europæ toti! imperare univerſo propemodum terrarum orbi! Quale deinde hoc alterum, quantoque etiam nobilius priore illo decus, eammet ipſam imperii latitudinem, & amplitudinem, etſi in ſe alioqui immenſam, tamen non

exæquare ſolum, verum & longe excedere imperandi gloria, imperatoriiſque virtutibus ac promeritis! Atqui ſcimus, utrumque hoc eximium decus CZARTORISCIANORUM eſſe Maiorum proprium. Suos illi regnandi fines e Lithvania Poloniaque protulere primum in Pannoniam, in Bohemiam, in Sveciam, in univerſam Ruſſiam. Et Bohemicum [*x*) quidem Sceptrum duo, Svecicum item duo, Hungaricum ſeptem omnino, Ruſſicum duo mini-

(x) *IAGELLONIDAS in Bohemia duos reapſe regnaſſe reperio, ſcilicet Vladislaum VIII. filium Caſimiri IV. Regis Poloniæ (vide Chronic. Herburti l. 17. c. 3.) & Ludovicum I. dicti Vladislai filium. Nam Vladislaus Jagello, prioris horum avus, poſterioris proavus, invitatus quidem iam olim a Bohemis ad regnum fuit; regnare tamen apud eos, ob graſſantem tum ibi hæreſim, niſi cum Eccleſia Romana in gratiam redirent, noluit. Vide eund. Herb. l. 14. c. 2. Apud Hungaros vero ex hac eadem Domo regnarunt quidem reapſe 1. Vladislaus V. ad Varnam cæſus. 2. Vladislaus VII. 3. Ludovicus II. eius filius, ambo Reges item Bohemiæ iam dicti ſupra. Electi autem, invitatique publice, ad Regnum Hungariæ, hi erant. 1. Vladislaus Iagello, ut habet Herb. l. 13. c. 2.*

mum, partim reapſe geſſerunt; partim, ut gererent, invitati magnifice, ſummiſque populorum illorum ſtudiis exorati fuerunt. Alia deinde Regia Europæ Solia quænam ſunt, quæ multiplici cognationum nexu non aliquando iidem iſti Duces ac Reges attigerint? imo quæ non in cognatis affinibuſque VITENIANO, ideſt, IAGELLONIO, CORI-

BU-

---

2. *S. Caſimirus, ut habet idem l. 17. c. 4.* 3. *Ioannes Albertus, ut habet idem ibid. c. 13. Ac poſtremo Sigiſmundus I. quem & a Svecis, pulſo Chriſtierno; & a Bohemis, & ab Hungaris, invitatum fuiſſe ad Regnum, prodit idem lib. 20. cap. 3. At vero Sigiſmundi huius nepos Sigiſmundus III. reapſe apud Svecos regnavit, ut nemo neſcit. Demum Ruſſiæ univerſæ Imperio Gediminus Vitenis filius, Magnus Lithvaniæ Dux, eſt potitus ſub annum 1320. profligato Kiiovienſium Duce Stanislao, eiuſque foederatis. Per illa vero tempora, qui Kiiovienſium Dux eſſet, is,* e vetere Ruſſorum inſtituto (*verba ſunt Koialovicii fuſe rem enarrantis parte 1. l. 7.*) ſupremus Ruſſiæ Princeps, & vocabulo Genti uſitato Monarcha dicebatur. *Quod ipſum Imperium, longe deinde poſt, rurſus ad Iagellonidas Poloniæ Reges, ad Sigiſmundum ſcil. III. & ad eius filium Vladislaum IV. ultro a Moſchis deferebatur. Vide Stanisl. Łubieńſki* De motu civili --- *l. 4. a pag. 153. ad 159.*

BUTHIOQUE Sangvini, qui idem ipſe ac CZARTORISCIANUS eſt, externis Regibus atque Principibus etiamnum obtineant; perque illos non Europæ duntaxat, ſed, ut iam dixi, orbi terrarum univerſo imperent? Sed iſta quidem Regiarum Cognationum hiſtoria, iſta, inquam, (*y*)

- - - - - - - ſeries longiſſima rerum
Per tot ductaViros antiquæ ab origine gentis,

ſi repetenda mihi hoc loco, & quaſi retexenda ſit tota; infinitam eſſe hanc orationem oporteat. E multis igitur unum duntaxat, quod inſtar tamen ſit omnium, commemoremus illud, Auguſtas inter, AUSTRIACAM IMPERATORIAM, & IAGELLONICAM REGALEM, Familias, multiplicem interceſſiſſe connubiorum nexum, tanto maiore, niſi vehementer fallor, IAGELLONIORUM gloria, quod eis

(y) *Virgil. Æn. 1.*

AUSTRIACI non Sponſas tantum, ut illi AUSTRIACIS, ſed ampliſſima etiam Regna debeant. ANNA ſiquidem VLADISLAI VI. Bohemiæ atque Hungariæ Regis Filia, cuius Avus CASIMIRUS IV. Poloniæ REX IAGELLONIDES, CZARTORISCIORUM Principum patruelis erat frater; ANNA, cuius Proavus, VLADISLAUS IAGELLO, REX item Poloniæ, CORIGELLONIS, CZARTORISCIÆ Domus Auctoris, germanus erat frater; ANNA, inquam, IAGELLONIA Princeps Regia a FERDINANDO I. AUSTRIACO, Romanorum Imperatore Auguſto, in matrimonium ducta, Hungariam ad eum, & Bohemiam, glorioſam ſane AUSTRIACIS, qui acciperent, haud paulo tamen glorioſiorem IAGELLONIIS, qui * nempe darent, dotem attulit. Hic

* Habere Regnũ caſus eſt: virtus dare. *Seneca in Thyeſte actu* 3. ſc. 2

Hic iam ego quæro, quid tandem eſt, tam certam, tam veterem, tam multiplicem, eamque & tam magnam, & tam illuſtrem, iam ſangvinis, iam regnorum atque imperii, AUSTRIACOS inter ac CZARTORISCIOS communionem perſpicere, ſi non id ipſum eſt, videre palam, communionem eandem ad omnes in Europa Regias pertinere Familias, atque iis gloriari cognatis, qui non intra Europam duntaxat, ſed extra illam quoque toto terrarum orbe dominentur latiſſime! O venerandam Nominis *CZARTORISCII* maieſtatem! o decus! o gloriam! o PODOLIENSIS, honorem ſplendoremque Provinciæ! Quale illi ADAME *PRINCEPS* quam præclarum, quam illuſtre, quam divinum es lumen! quanto illam fulgore irradias! quanta perfundis luce! Es ſumma, es Regia Maiorum glo-

ria:

ria: iſtam deinde Tuam, a tot tantiſque Maioribus quaſi hæreditario quodam iure devolutam ad Te gloriam cum illis, tanquam decorum caput cum pulchro corpore, univerſam communicas: amplioremne igitur auguſtioremque in ſeſe, honorificentiorem autem ſibi, non iam dico habere, ſed optare, atque expetere poſſit Præſidem?

Cum autem iſta gemina, iam a regnandi ſcilicet latitudine ac diuturnitate, iam a Regiarum atque Imperialium ſplendore cognationum profecta, inque Te *PRINCEPS CELSISSIME* transfuſa, Maiorum Tuorum gloria quiddam in Te eximium, quiddam prope divinum, quod PODOLIA ſuſpiciat maxime, quod veneretur etiam religioſe, per ſe ipſa proponit; tum, ſi iam illud ſpectemus tertium, quod mihi ego extremum propoſueram, cum eſſem de

hoc

hoc ornamentorum genere dicturus; tum, inquam, quibus, & quantis Tu illi in amoribus eſſe incipies! Rationem ego & modum regnandi aſſeverabam eſſe, qui Reges & Principes, laudabiliter ſancteque imperantes, ut cum Pòëta illo ſic loquar,

diis miſcet ſuperis, ———

atque terrarum dominos evehit ad Deos (*)

Quis autem unquam, quis uſquam, majore ſubiectorum ſibi populorum bono [in quo ſumma regnandi eſt ſita laus] regnavit Princeps; quam STIRPS VITENIA, ideſt CZARTORISCIANI Abavi atque Tritavi, in Polonia Lithvaniaque regnaverint? Quam ego cupiam adeſſe hoc loco mihi non jam ſolam hanc PODOLIAM, ſed plane univerſam noſtram POLONIAM! Quam enim multis ad numerum, una

H vero

(*) *Hor: l:* 1. *ode* 1.

vero quam certis & quam gravibus ad auctoritatem ac pondus, quam illuſtribus ac magnificis ad amplitudinem dicendarum rerum, oſtenderem argumentis; quidquid iſto in Regno, iſtaque Rep. ſeu habemus etiamnum boni, ſeu habebamus olim, cum floreremus quam maxime; id partem potiſſimam, ne dicam, id omne prorſus, IAGELLONIIS PRINCIPIBUS, hoc eſt, CZARTORISCIIS [hæ namque Familiæ ut ſunt duæ atque diverſæ nomine, ita ſunt plane una eademque ſangvine] id, inquam, iſtis & Maiores debuiſſe noſtros, & nos debere, & noſtros poſteros æternum eſſe debituros. Quid enim? quæſo, quid ad ſummam Regnorum, non dico felicitatem, ſed vel ad ipſam adeo beatitatem intereſt; quod iſti nobis non abunde, non cumulate, præſtiterint? An Provincias longe plurimas, eaſque

opi-

opimas, & omnium rerum copiis abundantes, conficere, latiſſimeque Imperii proferre fines? Maiorem iſtius Regni partem debemus IAGELLONIIS. An victricia late circumferre arma, & conficiendis feliciter plurimis maximiſque bellis præpotentes hoſtium vires frangere, ac eorum internecione iter ſibi ac ſuis ad immortalem gloriam patefacere? Bellis maximis, formidoloſiſſimiſque temporibus, hoſtibus innumeris iiſque potentiſſimis, ſummam in re militari gloriam IAGELLONIIS Ducibus atque Auſpicibus eſt adepta Polonia. An in pace ac otio ſapientiſſime Remp. conſtituere; ideſt, augere opibus, ordinare legibus, excolere humanitate ac literis, temperare imperii ſeveritatem ſvavitudine libertatis, conſecrare populos Divinarum Religionum cultu? Tranquillitatem pacis,

honeſtatem otii, opes, leges, humanitatem, literas, libertatem, religionem, verbo, humana omnia & Divina bona, per IAGELLONIOS vel aſſecuti ſumus, vel in rerum iſtarum omnium poſſeſſione fundati.

Namque vel ſola Poloni atque Lithvani ſocietas, coniunctioque Imperii quantum eſt, per immortalem Deum! quantum eſt iſtius Familiæ de utraque hac Gente promeritum! Tantum ſcilicet, ut ſi, non dico, iis, quæ inde conſecuta ſunt, publicis eiuſdem Imperii æſtimetur bonis; ſed iis tantum, quæ ſublata hoc pacto ac æternum ſepulta ſunt, expendatur malis: quoddam inæſtimabile, quoddam immenſum IAGELLONIORUM in eos beneficium videri debeat. Cogitemus enim, quæſo, cogitemus pauliſper illorum atrocitatem temporum, per quæ diviſum etiamtum erat

Gen-

Gentium iſtarum Imperium. Proh immortalem DEUM! Trecentorum adeo annorum ſpatium, quod a Kierni, ſeu Kiernuſii, apud Lithvanos Principatu, ad IAGELLONIANI apud nos Regni interceſſit initia, annorum, inquam, trecentorum ſpatium, aliud nihil fuit, quam crudele, quam internecinum, Polonorum cum Lithvanis bellum: [z) neque tam bellum, quod aliquando ſcilicet fuerit interruptum, quam continuatum quoddam ſumma utrinque atrocitate prælium, quam plena bellici furoris cædes, quæ deplorandum in modum mutuis utramque Gentem diſperdebat excidiis! Quid iam dicam ſeu de fundata ſtabilitaque CZARTORISCIANORUM Maiorum armis illa uſque ad eorum apud nos imperium

(z) *Koial: Hiſt: Lithv: parte* I. *fuſe deſcribit ea mala, quibus Lithvani Polonos, & hi viciſſim illos, antequam in unum Imperium coaluiſſent, mutuo affecerunt.*

ambigua & labante (*aa*) noſtra poſſeſſione Pruſſiæ; ſeu de prolatis in Podlachiam (*bb*) Poleſiam, Volhiniam, hanc ipſam Podoliam, Ucrainam, verbo, in univerſam Ruſſiam, Regni finibus? Quid de aucta tot opibus nobilitate, poſtea quam univerſus Regiarum apud nos Præfecturarum uſusfructus noſtris per iſtos Principes conceſſus eſt condonatuſque Nobilibus? quid de hac Libertatis immenſitate, de qua iidem ut nobis gratificarentur, ita ſuum ſuæque Familiæ hæreditarium in noſtras Gentes ius remiſerunt nobis omnino & conceſſerunt; ut nos deinceps prorſus noſtros duntaxat, nulliuſque præterea eſſe iuſſerint? Quid? eximium humanitatis literarumque, quid? Religionis Divinæ cultum - - - Sed me, ut dixi, ſi

vel

(aa) *Du Bois Geogr: parte* 1. *capite* 17. (bb) *Adi ſis* Ius Publ: Regni Poloni, *auctore G: Lengnich. tom.* 1. *l:* 1. *a c:* 7. *ad* 11.

vel obiter attentem ſingula, infinitum eſſe oporteat. Hæc igitur, & eiuſmodi cætera, committamus immortali Annalium noſtrorum, imo vero animorum in primis noſtrorum, æternum gratæ obligatæque memoriæ. Iam de immenſis in hanc ipſam nominatim Provinciam, in PODOLIAM hanc inquam, CZARTORISCIANORUM Maiorum promeritis quid dicemus?

O PROCERES EQUITESQUE! o Cives PODOLIÆ univerſi, quantum iſti debetis Nomini! Namque ante VITENIANORUM PRINCIPUM in Vos Imperium quinam, quæſo, aut quorum eratis in Imperio? Eramus, Vos inquitis, quod nemo neſcit, qui Annales noſtros evolverit, eramus barbarorum quorundam dominatui Regulorum aliquando obnoxii & ſubiecti. Sane vero. Eadem cæterorum

quo-

que Vobis affinium Ruſſiæ populorum fortuna erat. In hoc ſcilicet quoddam illorum temporum veluti fatum ineſt: nota & labes Gentis Veſtræ honoratiſſimæ, ita me DEUS amet, nulla omnino ineſt. Sed quinam, quæſo, imo quidnam eratis præterea? aut quorum parebatis Imperio? Rem miſeram atque acerbam! neque memorandum hoc loco, niſi iſta non Veſtri Nominis labes foret, ſed communis populorum ſub cœlo omnium fortunæ iniquitas, per quam & evenit iam millies, & eventurum eſt porro infinito crebrius; ut qui ad Imperandum ſint facti, ii turpem, ac miſeram ſervitutem interdum ſerviant; (cc) contra vero ii regnent & imperent, qui ad ſervitutem ſint nati. I-

ſta

(a) Eſt malum, quod vidi ſub ſole, quaſi per errorem egrediens --- poſitum ſtultum in dignitate ſublimi, & divites ſedere deorſum. Vidi ſervos in equis, & principes ambulantes ſuper terram quaſi ſervos. *Eccleſiaſtes Cap*: 10. *v*: 5. 6. 7.

ſta igitur communis, fortunæ iniquitate, imo iſto eiuſdem ſcelere atque flagitio, eratis aliquando barbariei Scythicæ vectigalis populus; donec Veſtra vos virtus, veſterque hic generoſus animus, CZARTORISCIANORUM Maiorum corroboratus opibus, inſtructus armis, in tam pulchram aſſeruiſſet libertatem; [*dd*] quam turpis olim, quamque indigna, erat ſervitus. O in-

I ſigne

(dd) Ultus ibi feliciter (*Olgerdus Magnus Lithvaniæ Dux*) cædem Parentis (*Gedimini*) pacatiſque ab ea parte (*qua in eas Theutoni Equites incurſabant*) Provinciis, in Ruſſiam, quæ Lithvanæ ditioni ſuberat, animum (*anno* 1331.) intendit. Tartari enim e Taurica Cherſoneſo olim cum Bateio Duce egreſſi, poſt univerſam prope Ruſſiam partim vaſtatam, partim occupatam, eos campos cis & trans Boriſthenem inſederant, quos nunc *deſertos* populari nomine vocamus. Inde & PODOLIÆ per impoſitos Baſkakos, ſeu Præfectos, imperabant: & de Volynienſibus, Kiiovienſibuſque agris, infeſtis incurſionibus prædas agebant. Hos perdomare Olgerdus ſtatuit: præſertim cum ulteriores Ruſſorum Provinciæ, Scythicæ Aſiæ propiores, iugum Scythicum excutere feliciter interea coepiſſent. Victorem itaque Pruſſico bello exercitum poſtquam modica quiete recreaſſet, verſus Boriſthenem duxit. Iam Kanioviam, & Czyr-

ſigne ac ſingulare, o præclarum ac immortale GENTIS huius de Provincia Veſtra promeritum! O benefactum inter

---

kaſſos transgreſſus ad locum Siniawoda penetraverat: cum hoſtes in conſpectum ſe latiſſimo campo dederunt. Triſariam partiti Exercitum, ingentem multitudinem ducebant tres Reguli, Katlubach Soltan, Kaczybey Gierey, & Dimeyter Soltan. Conſtabat non obſcure, comparatos in prælium ire; neque moram pugnæ facturos. Quare Olgerdus quoque ſigna conſiſtere iubet, & ſimul aciem expedit: demum re ad manum & gladios atque haſtas deducta totam exercitus Scythici molem in fugam vertit. Tres Reguli in pugna cæſi: promiſcua fugientium cædes ampliſſimos campos cadaveribus late inſtravit. Proſecutus Olgerdus victoriam, cum exercitu Boriſthenem tranſiit. Pulſi ſunt ea expeditione Tartari omnibus iis agris, qui Kiiovia Oczakoviam uſque, & Putivilo ad oſtia Tanais protenduntur: arces Tarhovia, Bialocerkwia, Swinigrodum, & aliæ ereptæ. Reverſus inde, reliquias Scytharum per PODOLIAM ſine negotio vel delevit, vel profligavit. Qui matura fuga cædem evaſerunt, in Dobrucenſibus campis ad Danubium (qua in Thraciam e Ruſſia iter eſt) conſederunt: horum poſteri, nunc etiam, & Sclavonicam lingvam, & Maiorũ ſuorum, Podolicis ſedibus a Lithvanis depulſorum, memoriam retinent. PODOLIAM Scythis perpurgatam Olgerdus attribuit Nepotibus, Coriathi fratris filiis, Alexandro, Conſtantino, Theodoro, & Georgio: quorum operam eo bello inſignem expertus erat. Adiecit exercitus partem, tuendæ contra hoſtes provinciæ neceſſariam. *Continuatur nota ſequente.*

ter ea referendum a Vobis officia, interque ea promerita; quorum æternam memoriam non ulla vobis unquam dies eripiat! O beneficium quo quemadmodum nullum aliud neque ad recordationem iucundius, neque ad gloriam honoremque illuſtrius Vobis videri debeat, ita id quoque omnino effici neceſſe ſit, ut quem PRÆSIDEM accipiatis hodie Magnorum illorum Aſſertorum, Vindicumque Veſtrorum, Nepotem Clariſſimum ADAMUM PRINCIPEM CZARTORISCIUM; illo nihil omnino neque ametis tenerius, neque ad Veſtram gloriam quidquam grandius obvenire vobis exiſtimetis potuiſſe. Id quod iiſdem Vobis tanto impenſius præſtandum eſſe cenſebitis, ſi alia quoque cætera, quæ iidem ad illud primum adiecere deinceps, in Provinciam eandem Veſtram promerita, gra-

to, ut par eſt, animo recoletis. Quis fuit igitur, qui hanc æternam fortunarum, ſecuritatis, pacis, libertatis, vitæ adeo animarumque, quas trahitis, veſtrarum Arcem, hanc ipſam, inquam, CAMENECENSEM urbem & condidit; &, quà munienda erat, munivit; & in Regias Urbes retulit, cum diu illa in poſſeſſione privatorum fuiſſet? Iidem ipſi Aſſertores Veſtri, ac Vindices, & condiderunt munieruntque primi, [*ee*] & ad eximiam Regiarum Urbium extulerunt gloriam. [*ff*] Neque hic etiam ſuo-

rum

(ee) Illi, quod ab hoſte otium haberent, regionem munierunt, Bekota & Smotrica arcibus excitatis. Tradunt etiam Scriptores, munitiſſima in rupe MIRACULUM MUNITIONUM CAMENECUM IISDEM AUCTORIBUS CONSTITISSE: ubi vallum non ars, aggeſta terra; ſed ſolida rupe natura in altum eduxit. Paulo poſt, Georgio ad Valachiam, & Moldaviam cum Imperio optinendam evocato, atque mox (*anno* 1332.) Sochaczoviæ per venenum extincto: Theodoro ad Paternum Nowogrodenſem in Lithvania Principatum regreſſo, univerſa PODOLIA ſub Alexandro & Conſtantino Ducibus, manſit. *Albertus Wiiuk Koiałowicz Hiſt. Lith. parte* 1. *lib. VIII.*

(*ff*) Quoniam vero Turcarum terror capta ſuperiore anno

rum de Vobis promeritorum fecere finem. Vos, vos ipſos, inquam, PODOLIENSES Nobiliſſimi, in univerſorum reliquæ nobilitatis Polonæ iurium, omnimodæque æqualitatis glorioſam communionem iidem ipſi adſcivere. (*gg*]

I3 Sed

(1474.) Caſa, quæ Genuenſium Colonia fuit, & olim Theodoſia dicta eſt, animos cunctorum pervaſerat: miſſi in Podoliam Ioannes Tencinius Caſtellanus Cracovienſis, Derslaus Rituanius Sendomirienſis, & Andreas Odrovanzius, Ruſſiæ, Palatini, ut Camenecum Arcem, quæ Theodorico Buczacio oppignorata cum toto territorio ab hæredibus eius obtinebatur, pro Rege redimerent, ac munirent. - - - *Herburt. in Chronicis lib*: 16. *cap*: 14.

(gg) Ibi etiam (*Poſnaniæ, anno* 1434. *ſub comitia Generalia, in quibus Vladislao III. Vladislai Jagellonis Filio, Regnum Poloniæ delatum eſt*:) Ruſſica & Podolica Nobilitas cum Polonica omni iure exæquata eſt a novo Rege... *Herburt Chron: l*: 15. *cap*: 2. Poloni, nequid per longius interregnum turbaretur, Ladislaum Iagellonis natu maiorem filium VIII. Cal: Aug: ſolemni ritu inaugurarunt - - - - Eadem occaſione Podolia & Ruſſa Nobilitas ad pares cum Polonis Equeſtres prærogativas admiſſa eſt, antiquata vetere Ducum Ruſſiæ conſvetudine, quibus Nobiles certam frumentorum penſionem debebant, & militiam propriis ſtipendiis. *Koiałov: Hiſtor: Lithv: part*: 2. *lib*. 4. *pag*: 165.

Sed iam longius progreſſi ſumus. Quare, quod ſolent, qui diutius fecere iter, conſiſtamus hoc loco paululum: eoque, unde hæc omnis noſtra eſt profecta oratio, mentis oculos referamus. Quid igitur? Te Nobiliſſimum PODOLIÆ Miltiadem, PRINCEPS CELSISSIME, in hodierno Tuo ad munus publicum acceſſu tanta Materni æque atque Paterni GENERIS VETUSTATE, tanta MAIORUM utrorumque GLORIA, facile unum omnium efflorescentem maxime, inque hac Regia apud PODOLIENSES Præfectura PRINCIPI ſuccedentem PATRI, non SECUNDAM PODOLIÆ FORTUNAM, non inquam, longe maximam felicitatem, non immenſam beatitatem quandam eſſe læti agnoſcamus ex eo primo capite, quod PRÆSIDEM in Te ſcilicet ſint nacti AB A-

VI-

VITÆ CLARITUDINE GLORIÆ UNUM OMNIUM FACILE ORNATISSIMUM, QUI CUM INCREDIBILI ILLORUM HONORE ID MUNUS ADEAS?

Agedum porro. Qui in Te cum ad ſummam dignitatem Tuam, tum ad PODOLIENSIS PROVINCIÆ incredibilem gloriam, tanta Maiorum decora ſpectavimus adhuc; iam TUAM demum ſpectemus MODESTIAM, Tua cætera ornamenta animi ad eam adiuncta ætatem, qua, ut olim de ſuo Miltiade Athenienſes, ita de Te PODOLIENSIS PROVINCIA NON IAM SOLUM BENE SPERARE, SED ETIAM CONFIDERE POSSIT, TALEM, in Rep. gerenda FUTURUM, QUALEM multis magniſque rebus COGNITUM IUDICAVIT. Hæc enim vero eſt altera

lau-

laudum Tuarum pars, in quam ſi diligentius intuebimur; quibus per DEUM! [repente in immenſam quandam coniecti lætitiam] quibus exultabimus lætitiis! quibus animorum gaudiis triumphabimus, quibus certatim plauſibus, quibus acclamationibus, Illi gratulabimur Provinciæ, conceſſum ei præterea eſſe PRÆSIDEM, A SUARUM DOTUM ATQUE VIRTUTUM LAUDIBUS PRÆTER COETEROS APTISSIMUM, QUI CUM MAXIMA EIUS FELICITATE HOC IDEM MUNUS OBEAT! Sed quid ego conditiones pactioneſque ineo de faciendo, quod ultro omnes & fecerunt adhuc, & etiamnum faciunt? Nam quis e tota PODOLIA eſt unus, cuius oculis non mirifice blandiatur, cuius animo non ſvaviſſimam oblectationem afferat, cui non rerum ad felici-

ta-

tatem publicam præclariſſimarum ſpem certam iniiciat, iucundiſſimus hic Tuus PRINCEPS CELSISSIME conſpectus? Ecquæ ſunt virilis formæ gratiæ; quibus in exornanda decentiſſima Tua ſpecie natura pepercerit? quæ oris dignitas! quæ maieſtas frontis! qui honor capitis! Indoles vero animi quam erecta & celſa! quam vaſta in ſe! quam nonniſi maximarum rerum quarumque cupida! quam ad immenſam propemodum dignitatis gloriæque ambitionem facta! Cum tamen Tu tam præcellenti ſis corporis animique indole; cumque ipſa natura duce non feraris modo, uti dixi, ad maxima, ſed quidvis etiam incredibili vi ingenii conſequi videaris poſſe; tum generoſos hos impetus ut admirandum quendam in modum Virtus in Te moderatur ac temperat! Namque & illa eximia in Te

tam bene conſtituti, tam vividi in ſe ſe ac vegeti, verbo, effloreſcentis uti cum maxime, corporis habitudo quam admirandam ſemper ad modeſtiam eſt compoſita! quam in omni ſtatu ac motu decorum obtinet! quam longe pulcherrimam ingenuitatis ubique præfert ſpeciem! Quid de animi moderatione dicam? Iſtius quidem interioris laudis illa exterior, quam dixi, & quam noſtrismet uſurpamus oculis, moderatio ac æquabilitas nec incertus nec obſcurus eſt index. Cum enim in tanta Tui Nominis gloria, Tuæ Domus fortuna, Tuarum dotum excellentia, Tuorum olim honorum ſpe, uſque adeo tamen ab omni ſis alienus faſtu, ab omnibus extraordinariis tam remotus cupiditatibus, ab omni non factorum duntaxat, ſed & dictorum abhorrens inſolentia; quidni Te animo egregie

im-

imperare & admiremur omnes, & fateamur propalam, & abſolutam iſtam virtutem Tuam in egregium felicitatis publicæ vertamus omen?

Iam cæteræ dotes atque virtutes Tuæ quam multæ ſint, quam præclaræ, quam ad eandem felicitatis publicæ ſpem propemodum infinitæ; id quanquam nemo eſt Noſtrum, quin ſciat, imo vero quin videat: tamen vel ſcientibus, intuentibuſque etiam, quaſi ad irritandam, incendendamque vehementius, communis lætitiæ voluptatem commemorandum eſt. Fingamus primum igitur, de homine nobis prorſus ignoto ſermonem eſſe; cumque nobis ADAME PRINCEPS admiranda virtute, incredibili indole, ſummis animi ad Rempublicam optime adminiſtrandam præſidiis, eſſe inſtructus diceris; Nos tanquam ſi Te

 pror-

prorſus neſciremus, ita curioſius quæramus, qui tandem ſis: quo Patre, qua Matre progenitus: ubi, quomodo educatus ac inſtitutus: quibus in ſtudiis iam pueritiam, iam adoleſcentiam exegiſti Tuam. Ita Nobis quærentibus reſpondeat aliquis: ALEXANDRI AUGUSTI PRINCIPIS CZARTORISCII, Ruſſiæ Palatini, nec non SOPHIÆ SIENIAVIÆ eſſe filium; tum vel pauca hæc prima verba, quam præclaram, quam abſolutam, quam admirabilem, neque tam hominis, quam ipſiuſmet coelo lapſæ VIRTUTIS, in Noſtris animis effingent imaginem! Namque cum illud ſuccurret actutum, quod ſapienter eſt dictum:

Fortes creari fortibus & bonis; (hh)

tum vero quæ Paternæ, quæ Maternæ

Vir-

(*hh*) *Hor: l:* 4. *ode* 3. Fortes creantur - - -

Virtutis ſpecies, ob oculos hos noſtros verſabitur! Namque primum SOPHIÆ SIENIAVIÆ recordatio quam nobis Matronæ Principis gravitatem, quam dignitatem, quod decus, quem pudorem, quam ſanctitatem intuendam admirandamque proponet! At vero Paterni Nominis, PALATINI, inquam, CZARTORISCII mentio quem Nobis Virum, quem Senatorem, repente obiiciet! Eum ſcilicet, qui ſi vel privatus, atque obſcurus domi ſuæ latere vellet; tamen hominem, non dico Senatoriæ, ſed plane Regiæ Virtutes ſuæ, tam illuſtrem efficerent; ut ab omnibus orbi terrarum regendo par haberetur.

Præclara hæc igitur, & ad virtutem ac decus proprio naturæ ingenio tam egregie comparata, PRINCEPS CELSISSIME indoles Tua, po-

ſtea quam in hac eiuſmodi educata eſt domo; poſtea quam in eiuſmodi Parentum manibus tam liberaliter atque ingenue inſtituta eſt; qualem Tui aliam [ſi Te adhuc ignoraſſemus] in Noſtris animis effingere potuiſſet ſpeciem, ſi non hominis eximia bonitate, probitate, integritate, omni denique laudum genere inſignis atque conſpicui? Etenim cum Domum illam audimus, tenemus probe quid audiamus. Audimus ſcilicet probatiſſimam diſciplinæ civilis ac morum ſcholam: audimus ſanctiſſimum conſilii, ſapientiæ, gravitatis, iuſtitiæ, religionis, verbo, virtutum univerſarum templum. Cum vero illos Parentes nominari ſentimus, homines intelligimus, quorum ut ſumma eſt in hoc Regno nobilitas, ſummus honoris gradus, ſummæ facultates ac opes: ita eſt ſimul tanta vitæ integritas, tanta

mo-

morum ſeveritas, tanta in ſplendido Aulæ Principis apparatu benevolentia ac comitas; ut nuſquam alias neque dignitatem ab ambitione, neque divitias ab avaritiæ ſordibus, neque magnificum Aulæ Principis apparatum a faſtu remotiorem; cum humanitate autem atque facilitate, cum liberalitate ac munificentia, cum integritate demum atque modeſtia coniunctiorem reperias.

Ergo ſi vel omnino adhuc Te PRINCEPS CELSISSIME ignoraſſemus; tamen Te tam religioſa, tam integra, tam ſancta denique adultum in domo, inque iſtorum Parentum educatum manibus, Te inquam, tot ſaluberrimis imbutum vitæ præceptis, tot tamque eximiis invitatum perpetuo & incitatum exemplis, laudatiſſimum eſſe ac integerrimum, fortunandiſque iis,

quos

quos regendos acciperes, unum omnium longe aptiſſimum cenſere deberemus. Qualem igitur porro Te eſſe cenſebimus, ſi ea ipſa in domo, illa inter præcepta atque exempla, in ea demum diſciplina, non ignobilem atque abjectam quampiam, nedum perverſam & pravam in ſe, ſed hanc mirabilem, hanc coeleſtem, hanc ſuopte ingenio ad virtutem ac decus natam indolem, quam in Te demirari ſatis nemo poteſt, hanc, inquam, indolem tam diu verſatam eſſe cogitabimus? Quid ſi ad extremum cogitabimus, eammet ipſam diſciplinam inſtitutionemque fuiſſe in Te, cum univerſæ humanioris æque ac ſeverioris literaturæ varietate, tum præterea & infinita peregrinatione excultam? Enimvero, quas ego, & quantas res, iſtis paucis quaſi perſtrinxi verbis: quam præclaras videlicet ad Tuam PRIN-

CEPS

CEPS CELSISSIME laudem, quam inſignes ad PODOLIENSIS PROVINCIÆ, quinimo Reip. univerſæ, de Te ſpem.

Ut enim Tu primum, egregie a prima pueritia omni literarum genere animum excolueris; ut egregios in omnibus præclaris artibus progreſſus feceris: quis vel complectatur hoc paucis, qui Te noverit; vel complexo atque dicenti credat facile, qui non noverit? Quænam præcipua inter Europæas eſt lingva, qua non Tu, non ſolum non difficulter, ſed expedite etiam; neque paucis duntaxat, ſed quamvis copioſe; neque denique tolerabiliter tantum, atque ad ſolam audientium cognitionem intelligentiamque, ſed ſcite eleganterque etiam ad eorundem delectationem, & loquaris, & ſcribas? Nam Patria Eloquentia quantum valeas, quid

ego commemorem? cum, ſi vel plurimis magnificentiſſimeque commemorem; minus tamen dicturus ſim, quam univerſa exiſtimet prædicetque Reſpublica, poſtea quam Te in Generalibus Regni Comitiis Provincialem Nuntium audivit perorantem? Quid deinde ſeu in Philoſophicis, ſeu in Mathematicis arcanis, tam eſt abditum, ut Te lateat? Seu in infinita Hiſtoriæ univerſæ vaſtitate tam diſperſum diſſipatumque, ut non hoc tamen animo complectaris totum? Politia vero, Civiliumque inſtitutorum ſcientia; Iuris publici non Poloni ſolum atque Lithvani, ſed Gentium omnino omnium, exquiſita cognitio in Tuo iſto pectore tanta ineſt; ut qui Te de hoc genere audierunt aliquando diſputantem; ii ipſum in Te Platonem, illum divinum ſcilicet Reipublicæ Magiſtrum, audire

ſibi

ſibi viderentur. Ego certe [ne quis me inexpertum aſſentatorie magis, quam vere, hæc affirmare credat) ego, inquam, quia aliquando * familiariter agentem, ac de multis, quæ in ſermonem illum caſu inciderant, ſapientiſſime reſpondentem ſuſpiciebam; ubi deinde repentina quædam ac prorſus inſperata Salicarum Legum fuiſſet iniecta mentio; Te adhuc adoleſcentem, quodque maximum puto, nihil tum quidem de illa quæſtione præmeditatum, tam nihil tamen hæſitantem, tam in reſpondendo copioſum, tam exquiſita earum legum cognitione, tam recenti ac certa memoria eſſe inſtructum, atque imbutum penitus, expertus ſum: ut non ſolum in illo conſeſſu, illoque die, vehementer obſtupuerim; ſed hodieque etiam tantæ illius eruditionis

 re-

* *anno 1756. IV. Cal: Septembr. ad Iaroslaviam.*

recordatione in admirationem rapiar.

Hæc dum dico, ſuccurrit mihi, quod alterum in expendenda Tua PRINCEPS CELSISSIME educatione poſueram, illam tam excellentem tamque reconditam literaturam quanto deinde uberiorem, quanto perfectiorem, quanto denique in omnes partes admirabiliorem eſſe factam, exiſtimare deberem; poſtea quam eximium iſtud ingenium Tuum ab illa privatæ inſtitutionis umbra in Europæ totius prodiiſſet lucem: Regioneſque in ea & Gentes omnes iſta ſua ſtupenda ſolertia diu ac multum luſtraviſſet. Sed pace tua dicam PRINCEPS SAPIENTISSIME: nihil prorſus ex infinita illa peregrinatione tua, ita inquam, NIHIL, ad priſtinam tuam prudentiam, ad tuam ſapientiam, ad tuam rerum omnium cognitionem ac-

ceſſit

ceſſit, præterquam quod in ſe ipſis ea conſpexeris, quæ iam olim in libris & literis penitus cognoviſſes. Vel certe ſi acceſſiſſe quidquam, ſit omnino dicendum; id nihil aliud fuiſſe dicam, præterquam prudentiæ, ſapientiæque illius Tuæ, quam perfectam in omnes partes, omnibusque abſolutam numeris, domo extuleras, univerſalem inter Gentes Populoſque omnes admirationem, ac incredibilem nominis tui gloriam. *SOL* quoque, aſtrorum princeps, terras omnes ac maria perpetuis obit curſibus; nec tamen quidquam ſua intereſt hæc videre: ſed contra eorum, quibus videndum ſe præbet, ipſius ad ſe acceſſu, ipſius luce recreari ac perfrui, mirum quam multum refert. Novimus (quis enim hoc neſciat?) novimus, PRINCEPS Glorioſiſſime, quanta tui apud REGES & PRIN-

CIPES, ad quoſcunque luſtranda Europa acceſſeris, æſtimatio & admiratio; quanta in Urbibus, quanta in Populis ac Nationibus, laudatio & veneratio, quantus demum ubique amor fuerit. Neque ſingillatim hæc tamen oratione iſta commemorari ſeu debent, ſeu poſſunt. Non debent, ne de tua GLORIA, quæ ſapientum iudicio [*ii*] EST FREQUENS CUM LAUDE FAMA, diffidere videamur. Non poſſunt, ne infinita ſit narratio. Unum illud, non ad cognitionem cuiuſpiam (nec enim eſſe obſcurum, nedum ignotum, cuiquam poteſt, quod Romæ, in illa orbis terrarum luce, factum eſt, & factum publice) unum, inquam, non ad cognitionem, ſed ad hos noſtros animos voluptate explendos, dicam, BENE-

(*ii*) Gloria eſt frequens de aliquo fama cum laude. *Cic: l: 2. de invent: cap:* 55.

NEDICTUM XIV. Virum illum ingenio iudicioque acerrimum, gravitate autem, auctoritate, ſanctitate, Divinum in terris Vicarium, poſtea quam in animum penitus inſpexit tuum; illud de te pronuntiaſse palam, quod ſæcula ſuperiora omnia nunquam adhuc fortaſse de quoquam Adoleſcentum a Romano Pontifice audierunt: & quod ſæcula futura omnia a Romano pronuntiatum Pontifice, eoque BENEDICTO XIV. Pontifice, cum admiratione ſemper prædicabunt. Pronuntiatum, inquam, fuiſse ab illo Pontifice, NUNQUAM EVENISSE SIBI, UT ADOLESCENTEM VIDERET NOBILEM, QUI ADOLESCENTE POLONO ADAMO PRINCIPE CZARTORISCIO, id eſt Te ipſo, SIBI QUIDEM ADMIRABILIOR VIDERETUR. Dicam &

illud alterum, quod non ita pridem Tibi ad Tuam Domusque Tuæ gloriam, ſumma cum animi mei voluptate, obveniſse audio. Nimirum POTENTISSIMUM MOSCOVIÆ IMPERIUM adeo virtute Tua, iſtaque maximarum rerum capaci indole, captum atque occupatum eſse: ut Te inter INCLYTISSIMOS DIVI ANDREÆ EQUITES, (qui apud Illos HEROUM ORDO in primis NOBILISSIMUS EST:) adſcribere, atque Honoris iſtius Inſigne per ſuum apud Regem & Rempublicam Noſtram Legatum offerre ultro ac libenter voluerit. Quanta, per DEUM! quanta dignitas ex eo, imo vero in eo Tua, Te in hac ætate tanti a Tanto fieri?

Id recordeminor TERRARUM PODOLIÆ PROCERES ILLUSTRIS-

SI-

SIMI [ad vos enim, unde profecta eſt, redire debet oratio] id inquam recordeminor; & aliquem hodiernæ lætitiæ, hodiernis Veſtrorum gaudiorum triumphis, faciatis modum. Hæc ipſa in Veſtro Præſide tam non vulgaris, tam abſolutæ cuiuſdam ſapientiæ admiranda dos, omnium Sapientum iudicio (*ll*) ſatis ipſa in ſe ſe ſuperque habet; ut Vos omni ex parte fortunatiſſimos, ut beatos efficiat. Cum igitur is ipſe Præſes ad hanc principem Moderatorum laudem tot atque tantas cæteras adiunxit

M₂ lau-

(*ll*) Princeps ingenii & doctrinæ Plato tum denique fore beatas Reſpublicas putavit: ſi aut docti ac ſapientes homines eas regere coepiſſent; aut ii, qui regerent, omne ſuum ſtudium in doctrina & ſapientia collocaſſent. Hanc coniunctionem videlicet poteſtatis & ſapientiæ, ſaluti cenſuit civitatibus eſſe poſſe. Quod fortaſſe aliquando UNIVERSÆ REIP: NOSTRÆ, NUNC QUIDEM PROFECTO ISTI PROVINCIÆ CONTIGIT, UT IS IN EA SUMMAM POTESTATEM HABERET, CUI IN DOCTRINA, CUI IN VIRTUTE ATQUE HUMANITATE PERCIPIENDA, PLURIMUM A PUERITIA STUDII FUISSET, ET TEMPORIS.

Cicero ad Q: Fr: ep: 1. c: 10.

laudes, imo cum omnes unus laudes obtinet; cum inquam & ANTIQUITATE GENERIS, & MAIORUM GLORIA, & SUA MODESTIA, omnibuſque omnium ornamentis virtutum, unus omnium efflorescat maxime; cum idem inſuper EA ÆTATE ſit, ut non iam ſolum bene de eo ſperare, ſed etiam confidere poſſitis, talem futurum, qualem cognitum iudicaveritis: quid eſt, quod dubitetis manus cœlo attollere; deque iſta SECUNDA PODOLIÆ FORTUNA, quæ in hoc altero PRINCIPE CZARTORISCIO ſe Vobis obtulit, gratulari certatim: illudque confiteri palam, PRÆFECTUM Vobis REGIUM conceſſum divinitus, & datum eſſe, qui & SUMMO CUM HONORE VESTRO id munus hodierno die ſuſcipiat; & MAXIMA CUM FELICITATE VESTRA ſemper deinceps gerat? At

At Tu INCLYTISSIMA CZARTORISCIORUM FAMILIA, iſtis in ADAMO PRINCIPE virtutum ornamentis cumulata, quid ni Te beatam ac felicem reputes? SUMMUS profecto HONOR Tuus, MAXIMA FELICITAS, eos Te Domi Tuæ numeraſse ſemper, hodieque numerare poſteros: ex quibus ad publica Regni munera evectis in commiſsas ſibi Provincias, SUMMUS ſemper HONOR MAXIMA ubique FELICITAS, ubertim proflueret. Hic honor, quem ampliſſimum accipis a MICHAELE PRINCIPE, Supremo M. D. L. CANCELLARIO; viro propter miram ingenii vim, abſolutam eruditionis præſtantiam, ſummam dicendi laudem, incredibilem boni publici curam, cæterasque excelſi animi dotes, non iſti duntaxat Regno, ſed toti, qua late patet, Eu-

ropæ,

ropæ magni ſemper habito: iſta felicitas, qua te liberaliſsime cumulat THEODORUS PRINCEPS, vigilantiſsimus Poſnanienſis Eccleſiæ ANTISTES; quem non tam iſtius, quod gerit, muneris amplitudo, quam ſuſcepti pro ſalute publica a SENATORE labores, exhauſtæ pro Dei gloria a PONTIFICE curæ, atque [quod caput rei eſt] copulatæ cum maieſtate opibusque SENATORIS, dignæ tanto PONTIFICE virtutes omnium æſtimationi commendant: hæc fortuna & gloria, quam Tibi immenſam adferunt primæ primorum in Polonia Procerum Familiæ, ob quas arctiſsimo Tecum neceſsitudinis ſangvinisque vinculo colligatas, Europæ quodammodo compendium videris: hic, inquam, ſummus honor Tuus, iſtaque maxima felicitas Tua, eo maioribus Tibi tum incrementis

aſsur-

aſsurget, tum præſidiis munietur; quo ampliorem PODOLIENSIS PROVINCIA, imo RESPUBLICA univerſa, ſibi in ADAMO PRINCIPE Tantorum PATRUORUM NEPOTE, cum honore felicitatem adfuturam confidit. Exulta, Te illi, una cum ANTIQUITATE GENERIS & MAIORUM GLORIA, optima quoque virtutum contuliſse ſemina; quæ in eam meritorum explicantur iam meſsem, ut SUA illum MODESTIA omnibus omnium virtutum ornamentis ſuſpiciendum proponat. Demum non iam ſolum ſpera, ſed etiam confide, talem ſuſceptis pro bono communi laboribus in Rep: futurum; qualem PODOLIENSIS PROVINCIA multis magniſque rebus COGNITUM JUDICAVIT. Nos pro eo, quo in Te Tuaque decora ſumus animo, ADAMO PRINCIPI am-

PI am-

PI ampliora ſemper HONORIS ac FELICITATIS incrementa optamꝰ, ut hunc SUMMO cum HONORE MAXIMAQUE cum FELICITATE TUA, SECUNDAM, non PODOLIÆ duntaxat, ſed POLONIÆ etiam, FORTUNAM prædicari audias.

In Typographia Lublinensi, S. R. M. Societatis JESU.